



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

A Clemente XI. Ad Benedictum XIII.

Luxemburgi, MDCCXLI.

15. Quotiescumque cogitamus &c. Constitutio de recta administratione
Hospitalium, & Montis pietatis Civitatis Cæsenæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74859](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74859)

Decernit prout in nrbr.

Decretum roborans & irritans.

Derogatio contrariis.

Die 8. Aug. 1726. P. A. tertio.

XV.

Commemorat suam pro Ecclesie Cæsenate, tum pastoralem olim, tum. p. t. Pontificalem sollicitudinem.

Paternæ nostræ benevolentia monumentum exercere cupientes, ipsumque Priorem Generalem specialibus favoribus; & gratis profectui volentes, & à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium tantum consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inelinati, ut deinceps perpetuis futuris temporibus locus Consultoris prædictæ Congregationis Cardinalium, succedente illius pro tempore vacatione, uni ex memorati Ordinis professoribus concedi, & assignari debeat, auctoritate Apostolica tenore præsentium decernimus; & ordinamus.

§. 3. Decernentes pariter easdem præsentis Litteras semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari. Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos; etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiti debere, ac irritum, & inane si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non quatenus opus sit dicti Ordinis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliis in suo robore permanens ad præmissorum effectum hac vice duntaxat specialiter, & expressè derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 8. Augusti 1726. Pontificatus Nostri Anno Tertio.

F. Card. Oliverius.

CONSTITUTIO

De recta administratione Hospitalium, & Montis pietatis Civitatis Cæsenæ.

BENEDICTUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

§. I. Quotiescumque cogitamus (hoc autem sæpe contingit) nos Ecclesie Cæsenati sex & quadraginta ab hinc annis pastorali officio præfuisse; toties memoria repetimus regulas, instructiones, edicta, & synodales constitutiones, quibus illius episcopatus rebus, & præcipue locorum piorum administrationi pro nostri ingenii viribus providere curavimus. Postquam vero ineffabile Dei consilium, nullis exigentibus meritis nostris, in cathedra beati Petri Apostolorum principis sedere nos voluit, sæpenumero ad eandem dilectissimam olim sponfam nostram Ecclesiam Cæsenatem oculos pontificiæ caritatis convertimus, ut aliquod nostræ pro ea sollicitudinis argumentum ostenderemus; dumque se no-

bis primo obtutu Seminarium Clericorum Secularium episcopatus obtulit, statim de illo amplificando, novisque rebus augendo decrevimus, ut adolescentes, militiæ ecclesiasticæ nomen daturi, in eo moribus & literis, quæ decet sacros ministros, commodius imbuantur.

§. 2. Quum vero nuper haud modica animi nostri perturbatione rursus nobis innoverit, quod ceteroquin oculis nostris olim adspeximus, atque hæc manibus contrectavimus, Xenodochia nimirum, sive Hospitalia, & Montem pietatis Cæsenæ ob incuriam & culpam laicorum, non ea, qua decet cura & vigilantia gubernari; eorum reditus, in peregrinorum & pauperum beneficium convertendos, Dei timore postposito, dissipari; quæque pii eorumdem auctores Dei obsequio & religioni destinaverant, jam dudum dilapidari; nos huic malo remedium aliquod allaturi, præsentem Constitutionem nostram edere decrevimus, duodecim capita complectentem, pro eorumdem Xenodochiorum, sive Hospitalium & Montis pietatis tutiori administratione impostera observanda, ne amplius ea, qua peregrinis & pauperibus Christi veterum Cæsenatum pietas danda esse voluit, in alios usus, contra eorum mentem manifesta Dei offensione, transferantur. Capita vero, quæ diximus, huic nostræ Constitutioni inseri volumus, ut perpetuis futuris temporibus legi, neque ab ullo, ad quem pertinere videbuntur, ignorari unquam possint. Hæc autem sunt.

PRO HOSPITALI SANCTISSIMI Crucifixi.

I. Piores, ad regimen Hospitalis sanctissimi Crucifixi deputati, perpetuis futuris temporibus sint decem tantum; horum quinque sint ex ordine Ecclesiastico seculari: unus ex canonicis Ecclesie cathedralis decretorum doctor, qui Primicerii vocabulo utatur: duo alii sint ex numero Parochorum: ceteri duo ex numero simplicium Presbyterorum. Quinque reliqui, de more, sint ex laicis, quinque vero illi Ecclesiastici ab Episcopo eligantur, ad nutum ejusdem Episcopi quomodocumque & quomodocumque ipsi placuerit, inde amovendi. Sed quinque reliqui ex ordine laicorum, de more, à publico & generali cætu consiliariorum civitatis eligantur.

II. In quocumque munere & officio, quod inter Piores ejusdem Hospitalis sanctissimi Crucifixi distribui contigerit, nunquam bini aut singuli tantum laici habeantur, sed unus ex Ecclesiasticis, alter ex laicis.

III. Inter Ministros Hospitalis sanctissimi Crucifixi Rationarius seu Calculator & Director ejus reddituum, sit semper extraneus, à solo Episcopo eligendus, cujus etiam nutu, ex officio suo removeri possit. Ad eundem Rationarium & Calculatorem pertineat examinare & recognoscere administrationes, quæ fiunt in cæteris locis piis civitatis: quæque propterea eam portionem in annum ejusdem Rationarii stipendium, de suo conferant, quam Episcopus ei tribuendam, & conferendam judicabit, omni recurru & appellatione remota.

PRO HOSPITALI SANCTI TOBIÆ.

IV. Ex duodecim Prioribus, ad regimen Hospitalis sancti Tobie deputatis, perpetuis futuris temporibus sex sint ex ordine ecclesiastico seculari, nimirum duo ex canonicis Ecclesie cathedralis, duo ex Parochis, duo ex simplicibus

Hujus Constitutio est deplorandus Hospitalium & Montis pietatis Cæsenæ status.

Priorum numerus, ordines & electio.

Officiorum inter eos distributio.

Rationarii electio, Officium & stipendium.

Priorum Ordo & electio.

Pres.

Presbyteris. Hos sex solus Episcopus eligat, semper ejus nutu inde amovendos. Cæteri sex sint ex ordine laicorum; eo modo eligendi, quem Constitutiones ejusdem Hospitalis præscribunt.

De prompta prædictorum executione.

V. Ut hæ nostræ sanctiones plenum & citissimum effectum obtineant, venerabili fratri nostro Joanni Baptistæ Episcopo injungimus, ut statim ac præsentem nostram Constitutionem acceperit, ex Prioribus laicis, regimini ejusdem Hospitalis sancti Tobie deputatis, sex solos antiquiores in suo officio relinquat; sed pro sex reliquis recentioribus, itidem laicis, ipse eligat sex alios ex ordine Ecclesiastico, ut superius dictum est.

Abolitionum prandiorum, Eleemosynarum & sumptuum inutilium.

VI. Ne reditus Hospitalis, qui Christi pauperibus & peregrinis alendis sunt assignati, deinceps in commestationes, comotationes & convivia impendantur, primo volumus, atque hactenus jubemus & declaramus, ut tria prandia, sumptibus ejusdem Hospitalis sancti Tobie, sub prætextu viatorum, quotannis parari solita in festo Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi, feria v. in cæna Domini, & in festo Resurrectionis Dominicæ, omnino aboleantur, nec amplius parari possint. Secundò, omnes eleemosynæ tritici, panis, leguminum, nummorum, carnis, vini, aliarumque rerum, quæ hæctenus bis in anno, hoc est in solemnibus Natalis & Paschatis Christi Domini distribui consueverunt, pari pacto aboleantur. Tertio omnes sumptus inutilis, & omnino supervacanei in prandis, jentaculis, commestationibus, conviviis, cenis, refrigerationibus, & cæteris hujusmodi voluptatibus, occasione congregationum, processionum, recognitionum & bonorum visitationum, fieri soliti, omnino aboleantur, sub pœna singulis transgressoribus centum scutorum argenteorum ipso facto incurrenda, & eorundem ære pro rata solvenda: quæ Seminario Clericorum secularium ejusdem episcopatus applicabitur.

Ex necessariis sumptibus residua Clericorum secularium Seminario applicanda.

VII. Completo anno administrationis ejusdem Hospitalis sancti Tobie, & statim recognitione facta, quæcumque ex annuis & necessariis sumptibus ejusdem Hospitalis supererint, volumus, ut perpetuò eidem Seminario Clericorum secularium adjudicentur.

Jus Episcopi in æqualitate suffragiorum.

VIII. Quotiescumque ejusdem Hospitalis Priores congregari contigerit, ut de rebus ad Hospitalia pertinentibus aliquid secretis suffragiis decernant, eorundemque suffragia fuerint numeri utrinque paris, rursus ad nova suffragia non procedatur, sed Episcopus ipse, vel ejus Vicarius generalis jussu & nomine ejusdem Episcopi suo proprio suffragio possit & debeat illorum suffragiorum æqualitatem tollere, eique parti adherere, cui pro sua prudentia & arbitrio sibi adherendum censebit. Nullus verò actus, nulla congregatio sine præsentia Episcopi, aut ejus Vicarii generalis fieri possit. Hoc sub pœna omnium actorum nullitatis observandum indicimus: atque hoc idem caput etiam de Hospitali sanctissimi Crucifixi dictum intelligatur.

Solutio pensionis annuæ.

IX. Idem Hospitalis & Confraternitas sancti Tobie, cæteræque duæ sanctæ Mariæ à Populo, & sanctæ Mariæ à suffragio, quibus singulis per Litteras nostras Apostolicas in forma Brevis, editas die 30. Maii elapsi anni 1725. injunctum fuit onus perpetuæ pensionis scutorum argenteorum monetæ Romanæ quinquaginta, Seminario Episcopali Clericorum secularium, perpetuis futuris temporibus persolvendæ, ejusdem pensionis medietatem singulis semestribus anticipato solvere debant. Si octiduo ab elapso semestri aliqua ex iis tribus Confraternitatibus medietatem

ejusdem pensionis anticipato solvere neglexerit, tunc duplicatam pensionem solvere omnino debeat.

PRO MONTE PIETATIS.

X. Cæteris ministris & officialibus Montis pietatis adjungatur æstimator pignorum, semper à solo Episcopo eligendus, eidemque subjectus, atque inde ejus nutu & arbitrio amovendus. Huic autem ministro, uti reliquis, eam mercedem solvat Montis pietatis, quæ ab Episcopo solvenda censebitur.

Æstimator pignorum eique merces.

XI. Præter duos præfides laicos ejusdem Montis pietatis, publico & generali cætu Confiliariorum civitatis eligendos, Episcopus duos alios eligat ex ordine ecclesiastico seculari, ejus nutu & arbitrio inde amovendos, quibus eadem onera & emolumenta dabuntur, quæ duobus præfidebus laicis dari consueverunt.

Eligendi duos Præfides Ecclesiastici.

XII. Episcopus perpetuis futuris temporibus independentem à quocunque, plena & libera facultate potiatum augendi, minuendi, declarandi, moderandi Constitutiones, ordines & capitula, pro bono regimine ejusdem Montis pietatis sancta, & statuta, quibus non tantum ministri & Officiales ejusdem Montis subjaceant; sed etiam officiales civitatis in omnibus & quibuscunque rebus ad eundem Montem pietatis pertinentibus sub pœnis, quæ in iisdem Constitutionibus vulgabantur.

Episcopi circa regimen facultates.

§. 3. Hæctenus capita duodecim ad Hospitalia sanctissimi Crucifixi, & sancti Tobie, ac ad Montem pietatis Cæsariæ pertinentia, perpetuique futuris temporibus inviolabiliter observanda, non obstantibus quibuscunque consuetudinibus, & quatenus opus sit, Seminarii, Hospitalium & Montis pietatis prædictorum, respectivè, fundatione, erectione, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, eorundemque Seminarii, Hospitalium & Montis pietatis, etiam juramento, confirmatione Apostolicâ, vel quavis firmitate alia, respectivè, roboratis, statutis, consuetudinibus, privilegiis & Litteris Apostolicis, eis, & eorum cuilibet, respectivè quomodolibet concessis, approbatis, & innovatis: quibus omnibus, & singulis, etiam si de illis, eorumque, respectivè, tenoribus expressa mentio habenda esset in his nostris litteris, ad præmissorum omnium & singulorum effectum, illis aliis in suo robore permanentibus, latissimè, & plenissimè ac speciatim, & expressè, hac vice dumtaxat, Apostolica auctoritate, respectivè derogamus, & derogari volumus, cæterisque contrariis quibuscunque.

Derogatio contrariis.

§. 4. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ Constitutionis, decreti, statuti, & declarationis infringere, aut ei temerario ausu contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum.

Sanctio penal.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majori anno incarnationis Dominicæ 1726. 18. Kalendas Septembres, Pontificatus Nostri Anno Tertio.

D. 15. Aug. 1726. P. A. tertio.

P. Card. Prodat.

F. Card. Oliverius.

VISA

De Curia J. Archiepiscopi Ancyranus.

Lucas Marinettus.

Alia